



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta

Secunda secundae Summa Theologiae

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Venetiis, 1593

2 vtrum innocens teneatur ad maiores gratiarum actiones, Deo, quàm
pœnitens.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72772](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72772)

In Deo autem primo & principaliter inuenitur causa debiti, eo quod ipse est primum principium omnium bonorum nostrorum. Secundario autem in patre, quia est proximum nostra generationis, & disciplina principium. Tertio autem in persona, quae dignitate praecellit, ex qua communia beneficia procedunt. Quarto autem in aliquo benefactorum, a quo aliqua particularia & priuata beneficia percipimus, pro quibus particulariter ei obligamur. Quia ergo non quicquid debemus Deo, vel patri, vel personae dignitate praecellenti, debemus alicui benefactorum, a quo aliquod particulare beneficium recepimus, inde est quod post religionem, qua debitum cultum Deo impediunt, & pietatem, qua colimus parentes, & obseruatiua, qua colimus personas dignitate praecellentes, est gratia, siue gratitudo, quae benefactoribus gratiam recompeniat: & distinguitur a praemissis virtutibus, sicut quodlibet posterorum distinguitur a priori, quasi ab eo deficiens.

AD PRIMUM ergo dicendum, quod sicut religio est quadam superexcellens pietas, ita est & quadam excellens gratia, siue gratitudo: unde & gratiarum actio ad Deum supra posita est inter ea, quae ad religionem pertinent.

AD SECUNDUM dicendum, quod retributio proportionalis pertinet ad iustitiam commutatiuam, quando attenditur secundum debitum legale, puta, si pacto firmetur, ut tantum pro tanto retribuatur: sed ad virtutem gratiae, siue gratitudinis retributio pertinet, quae fit ex solo debito honestatis, quam scilicet aliquis sponte facit: unde & gratitudo est minus gratia siue coacta, ut Seneca dicit in libro de Beneficiis.

AD TERTIUM dicendum, quod cum vera amicitia supra virtutem fundetur, quicquid est virtuti contrarium in amico est amicitiae impeditiuum: & quicquid est virtuosum, est amicitiae prouocatiuum. Et secundum hoc per recompenationem beneficiorum amicitia conseruatur, quamuis recompenatio beneficiorum ad virtutem gratitudinis specialiter pertinet.

Super Quest. 106. Artic. secundum.

ARTICVLVS II.

Utrum magis teneatur ad gratias reddendas Deo innocens, quam poenitens.

AD SECUNDUM sic procedit. Videtur, quod magis teneatur ad gratias reddendas Deo innocens, quam poenitens. Quanto enim aliquis maius donum a Deo percipit, tanto magis ad gratiarum actionem tenet: sed maius est donum innocetiae, quam poenitentiae, ergo uel quod magis teneatur ad gratiarum actionem innocens, quam poenitens.

¶ 2. Prater. Sicut benefactori debetur gratiarum actio, ita & dilectio: sed Aug. dicit in 4. Coel. * Quis hominum suam cogitans in firmata re, audeat uiribus suis tribuere castitatem, atque innocentiam suam, ut minus amet te, quasi minus fuerit ei necessaria misericordia tua, qua condonans peccata conuersis ad te: & postea subdit. * Et ideo tantundem, immo amplius te diligit, quia per quem me ui-

det tantis peccatorum meorum languoribus exui, per cum se uideat tantis peccatorum languoribus non implicari. ergo etiam magis tenetur ad gratiam reddendam innocens, quam poenitens.

¶ 3. Prater. Quanto gratuitum beneficium est magis continuatum, tanto maior pro eo debetur gratiarum actio: sed in innocente magis continuatur diuina gratiae beneficium, quam in poenitente. dicit. n. Aug. ibidem. * Gratia tua deputato, & misericordiae tuae, quia peccata meamque glaciem soluisti: gratiae tuae de puro & quacuque non feci mala: quid. n. facere non potui? Et oia mihi dimissa esse fatcor, & quae mea sponte feci mala, & quae te ducere non feci. ergo magis tenetur ad gratiarum actionem innocens, quam poenitens.

SED CONTRA est, quod dicitur Luc. 7. Cui plus dimittitur, plus diligit. ergo eadem ratione plus tenetur ad gratiarum actionem.

RESPOND. dicendum, quod actio gratiarum in accipiente respicit gratiam datam. Unde ubi est maior gratia ex parte datam, ibi requiritur maior gratiarum actio ex parte recipientis. Gratia autem est, quia gratis datur: unde dupliciter potest esse ex parte dantis maior gratia. Uno modo, ex quantitate dati, & hoc modo innocens tenet ad maiores gratiarum actiones, quia maius donum ei datur a Deo, & magis continuatur ceteris paribus, absolute loquendo. Alio modo, potest dici maior gratia, quia magis datur gratis: & in hoc magis tenet ad gratiarum actionem poenitens, quam innocens, quia magis gratis datur illud quod ei datur a Deo. Cum enim esset dignus poena, datur ei gratia. Et sic, licet illud donum, quod datur innocenti, sit absolute consideratum maius, tamen donum, quod datur poenitenti, est maius in comparatione ad ipsum: sicut etiam partium donum pauperi datur, est ei maius quam diuiti magnum. Et quia actus circa singularia sunt, in his quae agenda sunt, magis consideratur quod est hic, vel nunc tale, quam quod est simpliciter tale, sicut Philosophus dicit in 3. Ethicorum, * de voluntario & inuoluntario. Et per hoc patet responsio ad obiecta.

ARTICVLVS III.

Utrum homo teneatur ad gratiarum actionem omni hominum benefactori.

AD TERTIUM sic proceditur. Videtur, quod homo non

innocentem & poenitentem ceteris paribus. Nam si iustitia innocens, seclusa ratione innocetiae esset ut decem, & poenitens ut quatuor, aut e contrario, ueris esset comparatio. Cum ergo dicitur, quod donum quod datur innocenti, est absolute maius ceteris paribus, sensus est, quod ipsa innocetia maius est bonum sem se, quam poenitentia: & quod donum par, maius est sem se adiunctum innocetiae, quam adiunctum poenitentiae.

¶ In corpore eiusdem 2. art. daturum occurrit. Primum, quia non videtur uerum, quod donum innocenti sit maius absolute, tamen quia innocetia negatione offensa importat, negatio autem non auget bonitatem rei, licet quandoque sit illius conditio: tunc quia, ut dicitur in 1. Ethicorum, albedo decem dierum non est perfectior albedine unius diei: per hoc innocetia, quae nihil aliud formaliter dicit, quam continentiam in non offendendo, non est maius bonum quam iustitia equalis restituta.

¶ Dubium occurrit secundo, quia non videtur uerum, quod datum poenitenti sit maius huic, quam datum innocenti, tamen, quia exemplum licet non est simile, quoniam comparat modicum & magnum datum pauperi & datum diuiti, praesupposito quod iste sit pauper, & ille diues. Praesens inuestigatio, licet praesupponat quod poenitens fuerit peccator, non tamen praesupponit, quod alter sit innocens, & aliquid magnum ei datur, sed de ipso dono, quo constituitur innocens, quarit. Et esset simile, si diceretur quod maius est modicum quod datur pauperi, quam ditare aliquem. Et tunc hoc negaretur, quia plus tenet regidatus a rege a nauitate sua, quam alius pauperculus subleuatus a necessitatibus suis: tamen quia in beneficiis superuenientibus meritis, vel demeritis personarum

lib. 2. cap. 7. ante medietatem. tom. 1.

lib. 3. cap. 1. tom. 5.